



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Hvivs Nominis Decimo Tertio Pontifici
Maximo, Christique vicario Antonius Monchiacenus Demochares
perpetuam fœlicitatem summopere exoptat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

SANCTISSIMO DOMINO
NOSTRO GREGORIO HVIVS
NOMINIS DECIMO TERTIO PONTIFICI MA-
ximo, Christique vicario Antonius Monchiacenus
Demochares perpetuam foelicitatem
summo pere exoptat.



UNQUAM adco iuueniliter vixi, Beatif-
sime Pontifex, quin summo Dei optimi maximi be-
neficio, cane peius & angue aniles fabulas & delira-
menta semper pertimescerem, vtpote qui auide soli-
dam quandam disciplinam adinuenire percuperem:
qua me ad diuinam theologiam, cuius eram studiosus, facili & bre-
ui quodam tramite perduceret. Sciebam enim probe, inter tot artes
& multiplicia disciplinarum genera plurimum referre, quam
quis principio eligat, quenque artium preceptorem sequatur.
Cum itaque didicissem humanam philosophiam ac naturalem ad
hanc non mediocrem adferre accessum, huic primum me totum
tradere constitui, & doctorem artium liberalium sum sequutus,
qui grauitate ac doctrina inter ceteros clarus, nec non duobus iam
(vt aiunt) artium curriculis percelebris circumferebatur, cui tribus,
vt moris est, annis cum dimidio integris assidue adhasi, attente
audiens, ac cupide, discens, qua vel ipse suo Marte recenter
excogitauerat differendi argumenta, & qua calamo excipien-
da & scribenda, vt tenacius hererent, studiose dabat: vel qua
ab aliis excusa typis adhuc incalescentibus, sophismata ac noua
questionum opera toto illo tempore perdiscenda tradidit. Hinc
accidit, vt absoluto toto illo cursu laborioso sane, sed inutili,
peregrinis quibusdam nugis atque sophismatibus illusus, philosophia
tyrocinia minime gustauerim, nec ad sacram theologiam, vt spera-
bam, accessum, sed potius recessum nactus sum. Fatebor tamen in-
genue, ne quid dissimulem, me his questionum formulis non exi-
guam disputandi comparasse promptitudinem, quam ne perde-
rem, tam graui laborum precio partam, sed eam omni diligentia
conseruarem, statim ab ipso magisterij gradu, quotidie palam
& publice, mane & vespere, in gymnasio nomine diuae Barbarae

sacro

sacro, vbi manebam & discipulus fueram, anno 1527. oppositionū li-
bros & actuum syncreticorum Ferdinandi Densinas Hispani,
quas diligenter didiceram, interpretandos suscipio, quampluri-
mis concurrentibus & curiose audientibus toto fere semestri, quo-
usque felicior aspiraret fortuna. Vocatus subinde in Remigialibus,
vt iuuentutem in Philosophia erudiendam acceptarem: quid aliud,
quam, que noueram, docere potui? quibus ipsa quoque iuuentus, vt
temporum est iniuria, admodum oblectabatur. At vero cum plane
agnoscerem eam misere decipi, & me, quo tendebam ad institutum
haud promoueri, sed remoueri, Aristotelis libros summa cura ac di-
ligentia interpretari aggredior, adiutus libris ipsius Aristotelis Græ-
cis, ac Græcorum commentariis, quos tanta & facilitate & felici-
tate sum interpretatus, vt præ multitudine auditores schola quam
plurimos excluderet. Excitabantur namque mirum in modum ad id
nostris hypomnematis, que inter docendum in octo libros topico-
rum Aristotelis in lucem emiseram, & qui sperabant me in reliquos
Aristotelis libros consimilia emissurum, haud expectatione fuissent
fraudati, si tulisset simul tum docendi, tum scribendi conditio, hanc
tamen iacturam, vt resarcirem, in totam eiusdem Aristotelis phi-
losophiam, Diui Thomæ commentarios Parisiis imprimi curauit, ad-
ditis quibusdam annotationibus, quorum lectione & usu candida-
ti philosophiæ faciliem ad Aristotelis libros, qui erant prius omnibus
inaccessi & deserti, intelligendos ingressum inuenerunt sicut adhuc
hodie experimento satis notum euadit. Quandoquidem ab eo tem-
pore præceptores philosophiæ in Aristotelis libris interpretandis di-
ligentem nauarunt operam, quorum & posteri in eodem studio
nunc perseuerant: vtinam successores ab eo nequaquam deficiant.
Nondum certe ipsum secundi stadii philosophici cursum absolueram,
cum in sacra Theologia discipulos adoptatus sum, & iam tempus
peruenerat, quo ex alma facultatis decreto tenebar, vt moris est,
legere & interpretari cum condiscipulis omnibus quatuor libros
sententiarum, quos magister Petrus Lombardus quondam sexage-
simus nonus Episcopus Parisiensis, summus Theologus, ex sacrosanctis
conciliis, summis Pontificibus ac Doctoribus scite in vnum collegit:
Agebam adhuc in Gymnasio clarissimo Burgundiano, vbi finem se-
cundi cursus expectabam. Summopere tunc do operam, vt non mi-
nus inueniret adhibuisse studium in Theologia quam tantopere dili-
gebam, & cuius ergo cetera passus fueram, quam in humana phi-
losophia

losophia
exter
profe
re, q
sui Ep
sos vo
cultu
reis v
adimi
gente
error
tentia
& qu
nuo t
polis I
mend
impra
tionis
breui
dam e
gia ty
posuit
bore a
perseu
ctione
set, qu
rem c
inuen
bus in
dalita
quicu
graua
editos
pauci
pluri
nibus
clare
bris,

losophia. Primum ergo libros illos arripio, qui non Parisiis, sed ab
exteris quatuor nationibus allati & impressi vendebantur. Pudet
profecto me tantam bibliopolarum Parisiensium ignauiam reuela-
re, quos tunc temporis non puduit magno labore & grauiore precio
sui Episcopi libros ab extraneis impressos maluisse querere, quam ip-
sos voluisse imprimere, praesertim in ea vrbe, in qua sola arcto fa-
cultatis imperio legendi & interpretandi ab omnibus Baccalau-
reis venirent: Quatuor itaq; quatuor diuersis regionibus impressos
adinuicem & cum quodam vetere manu in membrana scripto dili-
genter confero, quos multis sudoribus ac vigiliis à variis mendis &
erroribus liberatos, indicibus quoq; & numeris auctores, libros, sen-
tentias & capita, quae in his proferebantur, clare demonstrantibus,
& quasi ad fontes ipsos deducantibus, abunde illustraui: & conti-
nuo tribus insignibus ac praecipuis huius Academiae Parisiensis biblio-
polis Ioanni Petit, Ponceto le Prex, & Ambrosio Girault, dedi impri-
mendos. Auditores vero & discipuli mei ipsa folia, quae quotidie
imprimebantur, secum studiose afferebant, donec finem interpreta-
tionis meae simul & impressionis anno 1536. acceperunt. Venditis his
breui tempore omnibus, anno statim subsequenti surrexit qui-
dam chalcographus, qui suppresso meo nomine, quod nouus theolo-
giae tyrunculus adhuc essem, cuiusdam doctoris theologi nomen sup-
posuit, cuius sororem in matrimonium duxerat: vt illum alieno la-
bore apud ornatos ornaret, eosdem impressit, quos sub tali nomine
perseuerare vsque ad haec nostra tempora permisi absque contradi-
ctione, atq; adhuc permisissim nisi me obnixè ante triennium rogaf-
set, qui hos modo imprimi curauit, vt illis serio legerem recognosce-
rem diligenterque aduerterem si quid amplius corrigere, addere ac
inuenire possem: vt castigatiores tandem, & additis nouis ac pluri-
bus indicibus locupletiores prodirent, quae quidem omnia summa se-
dualitate ac fide perficere studui, quemadmodum facile comperiet,
quicumque omnibus vbiuis locorum prius impressis hos conferre non
grauabitur. Etenim omnes illos cum mendis & defectibus solitis
editos esse euidenter conspiciet: nec ab his excipio quos nonnulli
paucis adiectis indicibus auxerunt. Mirandum sane non est si quam
plurimi viri theologi hos libros magni fecerint, & suis lucubratio-
nibus, vt temporum tulit ratio, vehementer extulerunt: vtpote qui
clare intelligerent, quanto studio auctor ipse paucis admodum li-
bris, vniuersam ac praecipuam fidei, religionis, theologiae doctrinam

complecti curauerit: sicut ipsemet in prologo testatur sub his verbis.
Hic labor breui volumine complicans patrum sententias, appositis
eorum testimonijs: vt non sit necesse querenti librorum numerosita-
tem euoluere, cui breuitas, quod queritur, offert sine labore. Quocir-
ca iustum esse duxi, secundo hunc tantum diuina sapientie thesau-
rum, quem nobis suis immensis laboribus acquisiuit, repurgare, re-
purgatum nouis ac quam plurimis annotationibus locupletare, &
locupletatum tue sanctitati offerre, vt ab ipsa correctior & auctior
nobis reddatur. Quandoquidem preter ea que ab ipso dicta nequa-
quam recipi notantur, supersunt quoque plurima, que in dubium &
questionem vocauit, & que absque omni solutione reliquit, quibus
non parum anxij redduntur lectores: vt omittam referre, que in o-
mni fere questione multo plura sanctorum testimonia addi possunt.
Superauit profecto Ioannem Damascenum, auctorem Græcum li-
brorum de Orthodoxa fide, questionum multitudine, & auctorum
sanctorum testimonijs, cuius methodum sequutus est. Veruntamen
multa adhuc supersunt, que ab hoc desiderantur, quibus si tua bea-
tudo vniuersum vellet Christianismum subleuare, certo post sacro
sancta biblia, quorum correctionem & impressionem audio te accu-
rate procurare, nullum arbitror opus magis reipublicæ Christiana
necessarium esse, & quod proximis ad tuam auctoritatem spectet,
quam hi quatuor libri sacrosanctæ Theologiæ, qui multo plures theo-
logos pepererunt, & quotidie pariunt, quam Gratianus, iuris cano-
nici doctores, ex quibus scholastici omnes scribendi pro nostræ reli-
gionis defensione aduersus hereticos argumenta deprompserunt. Pro-
inde inter catechismos optimo iure primatum tenent, qui & fidei
articulos, decalogi præcepta, Ecclesiæ sacramenta abundantius de-
clarent. Volumen ergo hoc in quatuor libros distinctum Petri Lom-
bardi, sententiarum principis, e Nouaria Italia ciuitate orti, quon-
dam Episcopi Parisiensis ac anno 1164. in medio chori Ecclesiæ san-
cti Marcelli extra vrbis muros sepulti, vbi sepulturam elegerat, qua-
le quale sit, quod tue sanctitati offero & consecro, ipsum benigne
suscipias, humiliter supplico, & in communem studij Theologici v-
sum, suis omnibus numeris repurgatum ac comprobatum largiri di-
gneris. Tue enim offertur sanctitati, & relinquitur: vt tua dignita-
te ornatum, atque auctoritate confirmatum foelicius & speciosius in
lucem veniat. Parisijs, ex Sorbonico Theologorum cœtu, anno 1573.
die quinta Maij.

PATRES